

Fallor! an ad tumulum passis turbata capillis
 Hæc, mœrens Pietas, carmina mœsta canit:
 „Debueras æternum in terris pro Grege stare,
 „ Qvô stetit æterni cultus honorqve DEI.
 „Debueras nunquam jaculis occumbere mortis,
 „ Qvô Stygis horrendæ monstra scelestâ jacent.
 „ Sed bona mors! qvâ nunc curarum sorde Solutus
 „ Mundum linquis, adis astra, Deumqve vides.
 „ Bustum orna violis, qui transis care Viator,
 „ Floreat æternis Urna beata rosis.

*Supremis Honoribus Summi Theologi, Dn. Compatri
 & in Christo Patris venerandi deproperab.*

M. Christianus Augustus **Gausen**
 Ecclesiastes ad B. Virgin. & ad D. Cru-
 cis Symmysta.

Luge Dresda Virum, quem tota Ecclesia plangit,
 Acceptoqve novô vulnere mœsta stupet.
 Occidit heu! CARPZOV decus immortale Sionis,
 Ingens Theologies & Pietatis Atlas.
 In cujus vultu *Charites*, *Pithogve* labellis,
 Exceptæ hospitio, Cordeqve cana *Fides*.
 Hinc nivei mores expersqve modestia falsi
 Fervidus & puræ religionis amor.
 O quot virtutes *Unò Hòc* conduntur, ut *Unum*
Omnes vix credam posse referre *Virum*,
 Tempora nostra videns. *Inquis: non deficit alter?* //
 Opto ego, tu spera, *Fata benigna dunt!*

*Jacturam Ecclesiæ de incomparabili planè Theologi morte,
 licet beatissima, non facile reparabilem collugens*
 f.

M. Gotthelf **Ehrenreich Becker**
 Archi-Diac.

Tristior ostenta duplicatos præfica qvestus!
 Tantos ad tumulos lacryma multa fluat!
 At cur, cum navim CHRISTI prope subruatorcus,
 Cedis in Elysios, maxime PRAESUL, agros?
 Corporibus pax est, animis pax reddita nondum:
 Usqve dat, ah! turbas impia turba novas!
 Ergo sacrum tantus si PASTOR Ovile relinquit,
 A cœtu pellet quis, bone CHRISTE, lupos?

3

I, Pa-